Quelle: http://manuscripta.at/?ID=496
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

illa sive de creatis his subsistentibus sive de deo dividit. Hec ad id spectant quod de predicamentorum et predicandi differentia inter servit reddit. Et dicit quoniam pater et filius et spiritus sanctus qui sine numero unum sunt, sunt et numero plures. Quasi quandoquidem nulla illorum que non predicantur de re in eo quod ipsa sit id de quo predicantur alternare possunt. Quocirca si pater ac filius dicuntur ad aliquid vel utique ut dictum est dicuntur. nichilque aliud id est nullo nature predicamento ut dictum est differunt nisi sola relatione. quia et ad filium pater et ad patrem filius dicitur. relatio vero non predicatur ad id de quo predicatur quasi id ipsa relatione sit et de re de qua dicitur. neque quemadmodum pater ea predicatione que vocatur predicatio secundum rem. quia id de quo predicatur ut esse ut aliquid esse ea non facit. manifestum est quod relatio non faciet illam alteritatem que dicitur rerum id est illam quam ea faciunt quidem que secundum rem predicari dicuntur et quorum quolibet id de quo predicatur aliquid est. Sed potius si potest dici faciet alteritatem que dicitur personarum. Nec hanc interpretationem aliquis tamquam verbum profane novitatis exsufflet quoniam quidem id scilicet hanc patris et filii alteritatem qua pater et est et dicitur alter a filio et filius alter a patre nullius naturalis predicamenti sed relationis tantum diversitate. eo modo non interpretatus sum dicens hanc alteritatem esse personarum quomodo ab aliis pluribus ante me interpretatum est. Quod tamen vix intelligi potuit. Et ideo ego id expressius dicturus personarum premisi si dici potest. Attende quam recte ait si dici potest et tamen quod vix intelligi potuit. Nec ait dici non potest nec item ait non intelligi potuit sed vix intelligi potuit. quibus verbis ostendit neque dictionem hanc a nature locutionis usu omnino abhorrere neque rem omnino ab humane intelligentie sensu remotam. Sed esse ex aliqua rationis proportione transsumptum sermonem rem ipsam sicut est minime posse explicare et preter rationis plenitudinem sensum nostre mentis in eo quod non nisi ex parte concipi potest laborare. Ut igitur non tam ex rationis plenitudine quam ex eius aliqua sic dictum proportione intelligatur huius nominis quod est persona a naturalibus ad theologica facta transsumptio. dicendum videtur que subsistentium qua ratione vocantur persone. Quod ut facilius possit intelligi illa que superius huic loco distinguenda reservavimus distinguamus. scilicet quod alia proprietas alia ratione singularis alia individua alia personalis vocatur. Quamvis enim quicquid est individuum est singulare et quicquid est persona est singulare et individuum non tamen omne singulare est individuum nec omne singulare ut individuum est persona. In naturalibus enim quicquid est alio quam ipsum sit aliquid est et quam id quo est aliquid singulare est id quoque quod eo est aliquid singulare est ut Plato homo est. Nam plura numero ut homines duo

si pater ac filius ad aliquid dicuntur nichilque aliud ut dictum est differunt nisi sola relatione. Relatio vero non predicatur pater ad id de quo ~~pater~~ predicatur quasi ipsa sit et secundum rem de qua dicitur. non faciet alteritatem rerum de qua dicitur. Sed si dici potest quo quidem modo id quod vix intelligi potuit interpretatum est personarum.